

VER. 17. *Etiamq; omnibus diebus suis in tenebris comederit, id est, indignatione multa, & aegritudine sua, & fervente ira?*

Urit etiam eum tantò acriùs bonorum privatio, quòd ut opes magis aggestas reddat, omne tempus ætatis suæ parcè & duriter vixit, genium fraudavit, animum subinde indignatione, mœrore & ferventi ira ex lucrandi opportunitate omiſſa cruentat: quod quid aliud est quàm perpetuò in tenebris, & lucis quæ animum recreat atq; exhilarat orbitate, vitam traducere?

VER. 18. *Ecce quod vidi ego, bonum pulcrum esse comedere ac bibere, & frui bono ex toto labore suo quo laborat sub sole numero dierum vitæ suæ, quos dat ei ipse Deus, nam ea est pars ejus.*

Quæ quidem non in eam sententiam dicta intelligi velim, ac si pecuniæ & divitiarum nullus legitimus usus foret. Illud enim ab omnibus observari velim, me disquisitione & rerum usu perceptum habere, utenti commodum simul & aliorum iudicio (non omninò corrupto) decorum, & bonæ famæ esse, si quis sic edat, bibat, vestiatur, dormiatq; , ut inde non tantùm hujus vitæ necessitati serviat, sed aliquid etiam honestæ voluptati indulgeat, quo faciliùs laboris molestiam perferat: præsertim cùm hæc vita quam  
sub